G in vtero & ex vtero virginali? & quid tam gratè offerri ac susciρi posset,quam caro sacrificij nostri,corpus effectum sacerdotis nostri? Vt quoniá quatuor considerãtur in omni sacrificio,quid offeratur,cui offeratur,à quo offeratur,pro quibus offeratur,idè ipse vnus verusq; mediator per sacrificiũ pacis reconciliãs nos deo,vnũ cum illo maneret cui offerebat,vnũ in se faceret pro quibus offerebat,vnus ipse esset qui offerebat & quod offerebat. Semel hoc obtulit,quia nõ fuit opus repetitione. Suffecit enim omnibus,& ideo nõ est necesse iterari. Nã adeò magnũ est hoc sacrificiũ, vt quãuis vnũ sit & semel oblatũ,sufficiat ad æternitatẽ. Dixi quia sacerdotes indigebant quotidie offerre non solũ pro populi delictis,sed & pro suis:& hoc ideo fuit,quia [lex homines cõstituit sacerdotes,] non immortales iam,sed adhuc [habentes infirmitatẽ,id est,fragiles ad peccandũ, & ex ipsa corruptione naturæ mortalis procliues, vtpote homi
H nes puros,& conditione humanę fragilitatis vitare non valentes. Ideoque (sicut dictũ est) necessa-
Nume. 25. rium fuit illis ita offerre pro suis delictis,sicut pro
4. Reg. 11. populi. Hoc remedio indiguit Phinees, hoc Ioïada,hoc Zacharias,hoc ipse Aaron,& quicũq; alij
& .12. 2. Par. 24. in illo sacerdotio laudabiliter iustèq; vixere. So-
Exod. 28. lus noster sacerdos ab hac necessitate liber fuit. Lex quidem constituit tales,sed [sermo iurisiurãdi qui post legem est dictus à Propheta Dauid, id est,promissio patris facta cũ iureiurãdo, cõstituit sacerdotẽ non hominẽ infirmum & procliuem ad peccandum,sed [filium] sibi comparẽ,& in omni sanctitate [perfectũ,] ita vt perfectio illa nunquã defectum vel finẽ habeat,sed [in æternũ] maneat. Perfectus quippe erat,quẽ nec fragilitas peccare faciebat. Et in æternũ perfectus manet, quia eius perfectio nunquã potest minui. vel in æternũ sacerdos est constitutus,non ad tempus, vt alij sacerdotes. Sermo iurisiurandi est post legem, ne si fuisset in lege,dicerent Iudæi illud iuramentum esse completum in lege per suum sacerdotiũ. Post
I legem ergo est,vt per hoc lex insufficiens esse demonstretur. Si enim sufficiens esset, non post eam aliud per quod impleretur, fuisset pronunciatum. Per hoc etiam ostenditur,hunc esse sacerdotem alio ritu & sacerdotio, quàm secundum legem. Ex quibus omnibus apparet,hunc per se posse ad deũ accedere & perpetualiter saluare, atque carnales obseruantias legis superfluere.

CAPVT. VIII.

Apitulum autem super ea quæ di
C *cũtur: Talem habemus pontificẽ, qui consedet in dextera sedis magnitudinis in cælis, sanctorũ minister & tabernaculi veri q̃d fixit deus, & nõ homo.*

Ab eo loco quo dixit,vnde & saluare in perpetuum potest,ostendit multis rationibus,quòd potens sit saluare. Nunc quoq; quadam breui & capitulari ratione vult illud idem comprobare, & quoddam certius apponere. Quasi dicat: De eo multa dixi,sed nunc de his facio capitulum,id est, K
quandam breuem comprehensionem. Capitulum enim breuis multorũ complexio est,sic dicta,quia breuiter capiat totam summã. Nam per hoc quod diminutiuum est capitulum, designatur breuitas: & per hoc quod venit à capite vel à capio,intelligitur quod magnũ sensum capiat, & sit breue caput multorum,quæ latè differuntur. Loquor(inquit) multifariè de pontificatu Christi, sed quod nunc appono,est [capitulum super ea quæ dicuntur] hactenus à me de illo, id est, hoc breue quod nunc dicturus sum,superat illa multa superius dicta, quia dignius laudem Christi continet quàm illa, & firmius ac certius declarat hunc esse potẽtem saluare in perpetuum. Quia licet superius dictum sit, eum esse factum excelsiorem cælis, non tamẽ ex necessitate vocum ita probatus est sublimatus esse super cælos,vt nõ possit sublimius exaltari. Quod nunc in capitulo manifestè ponitur, L
vt intelligi oporteat illum intãtum esse sublimatum, vt non possit ascendere altius, vt maior fieri nequeat, vt in sede maiestatis cum patre sedeat, cùm dicitur, Talem habemus &c. Hinc enim incipit capitulum. [Talem,] id est, tam glorioſum, tam celsum,tam potentem[habemus pontificem, qui consedet,id est, cum patre sedet in regali solio maiestatis, hoc est cum patre regnat & iudicat & quiescit:& hoc [in dextera sedis magnitudinis in cælis,id est, sic sedet cũ patre,vt maneat in æqualitate regni patris.hoc est, æqualis sit patri in regno & magnitudinem gloriæ regni possideat, vt pater in cęlis,id est,in cælesti patria,vt omnes cælorum virtutes glorificent eum, sicut & patrem. Ille ergo quem in regno & omnium creaturarum gubernatione constat esse deo æqualem,bene potest in perpetuum saluare suos,& ad vitam æternã perducere. Vel consedet,id est,secundum animam & secundum corpus sedet,hoc est,quiescit & permanet, in dextera sedis magnitudinis in cælis, id est,potiori parte quietis dei, qui est magnitudo in M
cælis,id est,in sanctis angelis,quia magnos eos facit,manens in eis. & ipse pater qui est magnitudo cælorum, non potuit eum magis magnificare, quàm vt super omnia eũ exaltaret in æterna beatitudine. Quia verò iste pontifex tam dignus & tam potens nostram salutem semper operatur,cõgruè subditur:[sanctorum minister.] Nam æternam beatitudinem per sancta sanctorum designatam,& in præsenti incipit nobis ministrare, dans charitatem ac perseuerantiam, etiam in futuro perfectius ministrabit. Nã præcinget se & transiẽs ministrabit illis,quos in regno discũbere fecerit. Quod cæleste regnum dicitur sancta sanctorũ, id *Lucæ.12.*
est,dignissimum omniũ aliorum sanctorum: quia ibi perfectè viuitur in sanctitate,vbi est vita in bonis sine peccati cognitione. Ibi videlicet nihil fit quod deo displiceat,quod oculos maiestatis offendat. Et hæc sancta sanctorũ Christus nobis ministrat,dum religiosam interim præstat vitã,vt dicere possim⁹,Nostra cõuersatio in cælis est. & post- *Philip.3.*
modũ nos introducit in ipsum æternæ felicitatis secretum,